



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

§. VIII. Virtutes quibus fuit exornatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

Munia qua obiuit, & conuentus quos fundauit.

Nihil Ioanni magis erat in votis, quam vt expeditus ab omni prælatura sibi Deoque soli vacaret, idque identidem summis precibus à Deo postulabat, vnde cum in Capitulis ad aliquod officium eligeretur, nullum non mouebat lapidem, quo sese collata dignitate & munere liberaret: aduolutus ad genua electorum precibus miscendo lachrymas impositum munus resignabat, vacationemque efflagitabat. At noluit Deus hanc lucernam latere sub modio, quam super candelabrum constitutam voluit præluere omnibus. Igitur ex præfato Almodouatenſi cœnobio in Prouinciam Bæticam missus fuit, vt conuentui Caluarix præſset. postea Beacenſe Collegium fundauit, deinde rexit Granatense, vbique eundem spiritum orationis & pœnitentiæ introducens. Functus officio Vicarij Prouincialis Bæticæ, denuo munus Prioris subiit. Postmodum Capitulo Generali interfuit, in quo electus in primum Definitorem, eoque officio per triennium durante, simul interim Conuentum Segouienſem gubernauit. Mirum quanta integritate, prudentia ac sanctitate hæc aliaq; munia administrarit, quam rara virtutū exempla, quæ probatę sanctitatis famam apud omnes reliquerit.

§. VIII.

Virtutes quibus fuit exornatus.

Libet carptim illius virtutes delibare, nam vt minutatim omnes explicentur, res leſt operosi voluminis, non contracti, quale hoc est, vitæ compendij. occurrant primo virtutes Theologicæ, quas vt præcipuas præcipue coluit. Fidem viuam spirant & aperte loquuntur illius scripta, quæ videntur nihil aliud esse quam imago quædam & commendatio huius virtutis. Eam adeo firmam inter medias tenebras habuit, vt nihil indigeret eorum, quæ aut fulcimentum adferre solent, aut solatium. Idcirco in oratione minime appetebat internas dulcedines, visiones, reuelationes, aliaque huiusmodi: quin potius ariditates, labores, &c. Circa Myſteria SS. Trinitatis ac venerabilis Sacramenti talis in eo erat fidei vigor & viuacitas, vt ea potius intueri quam credere videretur, quemadmodum pluribus apertisque constat exemplis, quæ in vbetiori vitæ illius historia recensentur.

Fides.

Spes vtpote in fide fundata immensa erat, quam non ex angustijs humani cordis, sed ex immensitate diuinæ omnipotentis metiebatur. Hinc identidem dicebat: *O spes celestis quæ tantum obrines quantum speras.* Vbi de rebus domesticis prouidendis agebatur, aiebat: *nouit Dominus quibus indigemus, nostrum est ei fideliter seruire, ipſus vero nobis prouidere.* atque ita iactans super Dominum curam suam mirabiles diuinæ prouidentis effectus non semel est expertus.

*Spes.**Charitas.*

Charitatem quis dignè commemoret: talis fuit vt in externam etiam faciem redundarit, quæ celesti splendore non raro perfusa internum ignem charitatis prodebat. Dū quædam vice corā Infantulitæsv effigie Religiosos adhortaretur, visi sunt radij miri splendoris è vultu pueruli prodire, atque in ipsum tendere, inde resurre in auditors,

tores, quo pateret verba cœlestis huius viri scintillas esse, non tam sũo quam Dei ore egressas. Et veto (quod de Elia legimus) verbũ ipsius quasi facula ardebat, quo animos audientum incendebat, trahebat, rapiebatque. S. Mater nostra Theresia de Ioanne nostro dicere consueuerat, *Impossibile est sermonem de diuinũ miscere cum P. F. Ioanne, nam mox in ext. asim ipse abire, aut alios abire compellit.* Vnde passim apud alios audiebat diuinus incantator, Seraphin carne indutus.

S. IX.

Alia virtutes heroica.

Theologicarum virtutum vestigia reliquæ pari passu insequuntur. Humilitas tanta, quanta opus erat sublimi perfectionis ædificio superstruendo. Opera, verba, vultus, amictus, quicquid denique erat in Ioanne, humilitatem spirabant. Sibi vilis & abiectus, nihil quod propriam laudem redoleret, aut ipse loqui, aut alios loquẽtes audire poterat. Cum religiosi quidam labores, quos in promouenda reformatione pertraheret, recenserent, vitraque manu aures obturauit, obsecrans non ista sed potius peccata sua narrarent. Alteri alterius ordinis Religioso, qui (quod pater otiosa illius colloquia interromperet) cum dixisset videri eum rustici filium; Respondit Dei famulus: Imo tanti non sum, quin potius filius pauperuli cuiusdam textoris, quo responso non solum ille confusus, sed adeo etiam compunctus fuit, vt ex eo tempore fuerit Venerabili Patri addictissimus, & præco illius sanctitatis. Tria solitus erat à Deo postulare, primum labores, secundum ne paterfamilias existens à vita migraret: tertium quod profundissimæ humilitatis indicium præberet, vt abiectus & vilipensus viueret ac moreretur. Cum in Segouienſi Conuentu ante imaginem Christi Domini crucem baiulantis orationi vacaret, hanc ab imagine prodeuntem vocem audiit: *Ioannes quid vñ pro laboribus: & ille: Domine pati & contemni pro te Singularis optio, & non nisi ex intimo tum patendi, tum contemptus desiderii nata.*

Paupertatis fuit obseruantissimus, quæ ab omnimoda quadam spiritus nuditate procedebat. Morabatur plerumque in viliori & strictiori conuentus cellula, cuius ornatus crux lignea, tota suppellex, Breuiarium, Biblia sacra, disciplina, & cilicium. Habitus illi rudis, vetustus, resarcitus, mundus tamen, nisi obstaret aduersa valetudo, pedes iter agebat mendicatio victitans, & relictis hospitij lautioribus quæ vltro offerebantur, pauperiora requirebat, nunquam non fugiens opulentiam & vitæ commoditates. In conuentuum foundationibus nullos redditus admittebat; si quando delicatiora aliqua à benefactoribus submitterentur, nec essent infirmi quorum vsibus ea deputari suaderet charitas, restitui curabat, asserens nefas esse Carmelitis Discalceatis dum valerent vti similibus blandimentis.

Visus est Venerabilis Pater in carne sine carne viuere, ita alienus ab omni impressione luxuriæ, vt cœlum diceret, aut Olympi verticem, quem turbidæ tempestates nõ tangunt. Imo, quod mirere, alijs quibuscum agebat sola præsentia puritatem imprimebat; erantque antidotum contra immundi spiritus tentationes, quæcumq; corpus hoc castissimum aliquando contigissent. Quis credat mulierem carnis stimulis agitatam viri vel præsentia vel memoria suæ castitati posse consulere? & tamen inuenta est persona religiosa ab immundo spiritu vexata, quæ Ioannis nostri sola recordatione castitatis suæ munimen quæsiuerit ac inuenerit.

Fuit

B.
Ioannis
à CruceOpera
Mystica

NVI

124